



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis Expositio

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Secundum. Adulterium cum occisione sine conspiratione. parag. 2.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40132

4. Nota secundò , eandem conspirationem satis haberi , si conjux , sive consilio , sive mandato , sive alia cooperatione auxilium afferat ad mortem . Ratihabitio autem sola subsequens occisionem , ideo non sufficit , quia Jura de Ratihabitioe non loquuntur .

5. Nota Tertio , mortem debere esse secutam , quia pœna , nisi aliud exprimat , imponi semper intelligitur delicto completo . Non sufficit ergo attentatio , immò , nec vulnus , si id sufficiens non fuerit ad afferendam mortem , sed ea consecuta sit ex culpa , vel ignorantia Medicantis .

§. II.

Secundum Crimen.

Adulterium cum occisione sine mutua conspiratione.

1. Si idem Titius vir Bertæ , etiam si sit ejus vir per matrimonium tantummodo ratum , committat cum Catharina adulterium ; alter autem horum adulterorum , etiam sine consensu alterius , mortem parat Bertæ ; & re ipsa sequatur mors , b enascetur impedimentum dirimens matrimonium inter Titium , & Catharinam . Dicitur est (etiam per matrimonium tantummodo ratum) quia etiam tunc est perfectissimum adulterium , ut docemus omnes . Idem dic de Bertæ , si committat adulterium cum Cajo .

b C. Significavit nob. De eo qui duxit.

c Sanc. l. c.

d Idem l. c. nu. 19.

e Pont. l. c. nu. 5. affertens D. Tr. dicens esse intentionem committentem Doct.

2. Nota hic quatuor . Primum , machinationem mortis Bertæ jam secuta fieri debere ex intentione e ducendi Catharinam . Quare si fiat ex intentione liberius verbi gratia , vivendi , vel ducendi aliquam forminam incertam , vel ex simili alia causa , non consurget impedimentum . Semper tamen in foro externo præsumetur , d intentio ducendi hanc , quoties occisor vult contrahere cum ea , cum qua adulterium perpetravit .

3. Nota Secundò , esse quæstionem , An hæc prava intentio debeat fuisse explicata ei , cum quo intenditur celebrari matrimonium ? Et ajo , ita docent à Pontio e sed prorsus non acquiesco . Negativè enim respondendum est cum Averfa , s quia in hoc secundo cri-

mine non requiritur conspiratio duorum , f Averfa sicuti requisita fuit in crimine præcedente .

f Sanc. l. c. 18. sec. 4. Verj. Terminatio Rursus.

4. Nota tertio , adulterium , sive præcedat mortis machinationem , sive sequatur , sufficiens esse ad constituendum impedimentum ex hoc secundo capite .

5. Hinc , si prædictus Titius mandasset Sicario , ut occideret dictam Bertam ex intentione ducendi Catharinam , & post ejusmodi mandatum , ante mortem Bertæ , committeret adulterium cum Catharina , consurgeret impedimentum : non verò consurgeret , si cum eadem Catharina copulam habuisset post Bertæ mortem . Ita Sanchez g in simili de committente adulterium post propinatum venenum .

g Sanc. l. c. nu. 10.

6. Nota Quarto , nonnulla circa adulterium hoc . Primum enim non sufficiunt oscula , h vel tactus turpes , sed requiritur copula consummata . Secundò , requiritur adulterium formale respectu utriusque , id est , non solum prædicto Titio , sed etiam Catharinæ debet esse notum , ipsum Titium esse uxoratum ; si enim Catharina putet , Titium non esse conjugatum , copula , quam cum Titio habet , est adulterium in se , & respectu ipsius Titii , qui jam scit se uxoratum esse , sed non respectu Catharinæ , quæ putat , ipsum Titium esse solutum . Quare tunc non orietur impedimentum . Ita plures contra Pontium afferentem sufficere , etiam si malitia adulteri nota sit uni ipsi occisori . Tertio , non sufficit , tum adulterium esse formaliter tale ex sola conscientia erronea . Hinc , si dicti Titius , & Catharina putent Bertam vivere , eum tamen sit mortua vel putent inter Titium , & Bertam esse verum matrimonium , cum tamen ob aliquod impedimentum verum non sit , adulterium Titii cum Catharina non sufficit ad inducendum hoc impedimentum . Ratio horum trium est , quia Jura in re odiosa sunt strictè interpretanda . Ergo in casu nostro sunt intelligenda , non nisi de vero adulterio , quod omni ex parte verè , & realiter adulterium sit .

h Sanc. l. c. Coninch. d. 31. n. 52.

i Sanc. l. c. nu. 11. Aver. l. c. Ve. Ocharo loquendo Coninch. d. 31. n. 61. Perez. d. 13. sec. 2. Castrop. d. 4. de sponsal. p. 12. nu. 8. k Pont. l. 7 c. 45. nu. 52.